





DISPUTATIO

DE PRIMARIO
 ARGUMENTO, LIBRO-
 RUM SACRAE SCRIPTURAE CA-
 nonicorum, qui Veteris Testamenti ap-
 pellatione comprehen-
 duntur.

DE QVA DEO DANTE PER CHRISTVM,

Præside

IOANNE HEDERICO THEOLO-
 giæ D. & Professore in Academia IVLIA,
 quæ est Helmsteti,

Respondebit publicè

M. IOHANNES VVONINGIVS Vltzensis.



HELMÆSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno
 1795.

2



MAGNIFICIS, NOBILISS:
AC CLARISSIMIS VIRIS, DN. IO-
HANHARTMANNO AB ERFFA PRINCI-
pis VICARIO, Dn. Rudolpho à Bunow præ-
fecto summo, & Dn. Friderico à V. Veihen I. V.
D. & Cancellario, cæterisque Illustrissimi Po-
tentissimiq; Herois D. ERNESTI Ducis Bru-
nouicensium ac Lunæburgensium, &c. Domini
sui clementissimi, Consiliarijs præstantissi-
mis, Dominis ac Mæcenatibus suis
plurimum colendis

HASCE THESESES,

*Breuem quandam librorum veteris Testamenti Canonorum
epitomen complectentes, felicitis Strenæ, debitæq; obser-
uantie ac gratitudinis loco, officiosè
consecrat dedicatq;*

Respondens.

M. IOHANNES VVONINGIVS Vltzensis.



DISPUTATIO

De primario argumento librorum Sacrae scripturae Canonice, qui veteris Testamenti appellatione comprehenduntur.

I.

IN *Thesibus superiorum Disputationum, Sacra scriptura libros, qui ad fundamentum fidei & religionis eius requiruntur, quam nos Christiani profite- mur, & in quibus unica norma aut iudicium, de omnibus controuersis dirimendis extat, ordine & ratione sua designauimus, enumerauimus, certitudinem eorum immotam comprobauimus, & ab Apocryphis distin- ximus.*

II.

Ostendimus etiam, quanta sit Sacra scriptura & librorum, qui- bus ea comprehenditur, dignitas vel autoritas, & unde ea depende- at, quodq; autoritas Ecclesiae, sacris scripturis nequaquam praedictet.

III.

His nunc alia de quibus circa hos libros controuersia est, subijci- enda erant, ut sunt ea, quae de editione authentica scripturarum, siue de fontibus librorum Veteris Testamenti Hebraeis, & Noui Testamen- ti Graecis, de versionibus eorundem varijs, de interpretatione scri- pturae, & de perfectione eiusdem, contra non scriptas traditiones di- sceprantur.

IIII.

At uerò cum haec admodum late pateant, & alij, praesertim qui nunc Bellarmino bella de his mouenti, grauitate ac necessario se oppo- nunt, in iisdem discutiendis iam pridem elaborauerint, & adhuc e- laborent, hanc ipsis prouinciam concedimus.

V.

Agemus autem de eo nunc, quod vel maxime praeter ceteris est tra- ctandum, uidelicet, quod sit principale argumentum & scopus, eorum librorum sacrae scripturae, quos haec tenus Canonicos esse ostendimus.

A 2

VI. In quo

VI.

In quo sanè deducendo non solum de eorum auctoritate & certitudine, magis ac magis confirmabimur, sed etiam *παραγωγή* eorundem longè pulcherrimam, suauissimam & utilissimam cognoscere licebit ex eo, quod omnes sacrorum librorum scriptores, maximè omnium in Christum respexerunt, de eo vaticinati sunt, ipsum commendarunt, & ad hunc unicum Salvatorem nos remiserunt. Unde quamuis interdum aliud agere videantur, tamen Spiritum in illis semper in hunc scopum oculos dirigere rectè pieq; attendentibus haud obscurum est.

VII.

Ex hoc etiam capite intelligemus, quis sit totius sacrae scripturae nucleus, quae medulla eius, & quae propria Ecclesiae Dei sapientia, quae uniuersa salutis nostrae summa, modusq; consequendi vitam eternam continetur, qui omnibus alijs scriptoribus, ab Ecclesia Dei alienis, fuit ignotus.

VIII.

Præterea hinc discemus, idem genus doctrinae, quod nos profiteamur, omnibus temporibus in vera DEI Ecclesia de Messia sonuisse, nec alia ratione primè uos patres, coram Deo iustificatos & seruatos fuisse, quàm eâ, quae apertè & constanter contra hostes veritatis, in nostris Ecclesiis asseritur.

IX.

Vtemur autem hoc ordine, ut in hac quidem Disputatione, breuissima quadam delineatione ostendamus, quibus potissimùm in locis & capitibus, Prophetæ in scriptis Veteris Instrumenti, reuelatione diuina, de summis Dei mysterijs, verum Messiam designantibus, antequam illa fierent, longis retrò seculis (quae etiam adsignabimus) vaticinati sint: in alterâ verò subiiciemus, quibus rationibus Euangelistæ & Apostoli in Nouo Testamento, eadem certò præstita, & licet diutiùs differri viderentur, tandem impleta esse demonstrauerint, adeoq; eleganter prophetias Veteris Instrumenti, ad res Noui accommodauerint.

X.

Argumentum igitur principale, & scopum uniuersae scripturae Propheticae & Apostolicae, statuimus esse Dominum nostrum Ihesum Christum,

Christum, Dei & Mariae Virginis filium, citra cuius fidem nemo hominum inde ab initio mundi seruatus est, nemo etiamnum ex illis seruatur, & nemo ad finem vsq; mundi seruari poterit.

XI.

De hoc argumento quàm maximè in scripturis inquirendo, spectando & tractando, plurima vocis diuina dicta testantur, ut quod Psal: 40. Christus ipse inquit: Ecce venio, in capite libri (Mosis & Prophetarum) scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, DEVS meus volui. Quod dictum expresse Epistola ad Hebraeos, ad Christum accommodat cap. 10. & addit; per quam voluntatem sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Ibidem in Syriaca interpretatione pro voce libri, positum est, scripturarum.

XII.

Hoc idem subiectum principale nos Christus accuratè iubet inuestigare, ubi ait Ioh. 5. Scrutamini scripturas, (Mosis & Prophetarum) quia putatis (rectè) vos vitam aeternam in illis habere. Illae sunt, quae testimonium DE ME perhibent. Si Mosis crederetis, & mihi (vel ut Syriaca interpretatio habet, IN ME) crederetis, de me enim ille scripsit

XIII.

Quin verò etiam ipse Dominus ex morte rediuius, post gloriosam resurrectionem suam, Luca 24. exorsus à Mose & omnibus Prophetis, testimonia de sua traditione, passione, morte & resurrectione subinde inculcat, & particula, DE ME, quam addit, unicum vel summum harum scripturarum se esse scopum abundè indicat.

XIII.

Et Petrus Act. 10. catholicam oraculorum caelestium, de hoc scopo consensionem, digito monstrans: Huic omnes, inquit, Prophetae testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum.

XV.

In eandem sententiam Paulus ab omnibus nouis inuentis, & hominum commentis, subiectum scripturae, de quo loquimur, disertè remouens

monens Rom: 1. ait: Segregatus in Euangelium DEI, quod antea promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis, de Filio suo, &c.

XVI.

Moses igitur & Propheta concionantur de Filio DEI, & Messia, quod in hunc mundum venturus, & humanam naturam assumpturus esset, & addunt, ex quibus progenitoribus, ex quo populo, ex qua tribu, ex qua familia, deniq; ex qua persona familiae destinatae, siue ex qua matre, quo loco & quo tempore esset nascendus.

XVII.

Deinde mores & vitam Christi describunt, quae eam puritate, innocentiam & sanctitate constaret, ut perfecte cum norma in lege divina expressa congrueret, & cuius ratione benignissimus, mitissimus, humilimus, iustissimus erat futurus.

XVIII.

Præterea quoad res gestas, vel officia & summa beneficia generi humano per Messiam exhibenda, Prophetam, Sacerdotem & Regem eum describunt

XIX.

Officium Propheticum Messiae tribuitur, partim propter summam auctoritatem, in reuelando patre, & diuinis eius mysterijs, partim quia de rebus venturis plurima Ecclesiae indicaturus erat.

XX.

Ad sacerdotium Messiae, sub quo etiam Mediatoris officium comprehendendi potest, hæc potissimum partes referuntur: Munus promulgandi & docendi Euangelium, quod ipsi ut auctori est proprium: Satisfactio constans impletione Legis & persolutione pœnæ, quam in voluntaria passione, morte, sepultura, ipsiq; sacrificio propitiatorio plenè prestitit: Intercessio, qua pro credentibus interpellat apud æternum Patrem, ut propter satisfactionem & λύτρον suum eos in gratiam recipiat: Et Benedictio quam ipse secundum vetustissima vaticinia, verè & re ipsa impertit.

XXI.

Regium eius munus, quo vel in genere quibuscunq; rebus creatis præest & dominatur; vel quo in specie generi humano, & in eo præci-

praecipue Ecclesiam aut fideles suos gubernat, defendit & liberat: cuius specialis gubernationis respectu Rex proprie ac praecipue nominatur, eiusdemque ratione vocat nos & amplecti iubet eam satisfactionem, quam ut Propheta enunciauit, & ut sacerdos absoluit; ac denique iudex viuorum & mortuorum omnium est constitutus.

XXII.

De his ergo omnibus capitibus, quae locis personarum includi possunt, Moses & Propheta, vel expressis Oraculorum verbis & promissionibus explicite, vel gestis peculiaribus & heroicis sanctorum Patrum, Prophetarum, Regum ac Ducum, vel denique, typis ac sacrificijs, de praescripto DEI obseruatis implicite differuerunt, vaticinati & testati sunt.

XXIII.

Id quod nunc speciatim & ordine suo, libros veteris testamenti Canonicos percurrendo, ita ostendemus, ut habita ratione breuitatis, tantum loca vel capita nominemus eorundem librorum, in quibus huiusmodi de Christo oracula continentur.

XXIII.

Inter scripta igitur Moses, quem recte cum veteribus, Prophetarum omnium parentem & praecipuum appellamus, à quo, ceu fonte perenni, vatum diuinis ora rigantur aquis, Primus liber est Genesis, qui ob copiam vaticiniorum de Christo, magna ex parte censetur Evangelicus, & in quo expressis quidem verbis, De persona Messiae, de duabus in eo naturis, & unione earum personali, de certo populo & certa tribu, ex qua homo nascendus esset, & de officijs atque beneficijs ipsius, & eorum applicatione, diuina promissiones exposita habentur. cap. 3. 9. 12. 22. 26. 48. & 49. typis vero de iisdem cap. 3. sub veste parata à Deo expelle agno detracta. cap. 4. sub sacrificio agni ab Abele oblato. cap. 14. sub persona Melchisedechi. cap. 22. sub persona Isaaci immolati. cap. 28. sub Scala Iacobo visa. & cap. 37. usque ad 49. sub Iosepho à fratribus diuendito, cuius anni gloria, sexies superarunt annos miserie, differitur.

XXV.

De praeclarissimis fidei vere in promissum Messiam exemplis quibus hic liber abundat, & ob id quoque Evangelicus habetur, nihil hic praeterea addimus.

XXVI. De

XXVI.

De precipuorum autem & antiquissimorum huiusmodi vaticiniorum tempore (cuius consideratio eximiam illis affert lucem, & Deum non in morem hominum multa promittere, & pauca prestare euincit) hoc subiicimus, quod capitalis & prima promissio in Paradyso edita fuerit, antequam impleretur, annis 3970. Ea quae Abrahamo ex VR Chaldeorum, anno mundi 2024. euocato tradita est, annis 1947. ante natum Christum promulgata fuit: quae Isaaco anno mundi 2127. facta est, annis 1844. natum Christum praecessit: quae Iacobo anno mundi 2186. repetita fuit, ad 1785. ante natum Christum refertur, & quae ab eodem de Siloh sub annum mundi 2256. enunciata est, aduentum Christi annis 1715. antecessit; denique Iosephus anno mundi 2217. & ante natum Christum 1754. venditus est.

XXVII.

In libro Exodi praeter descriptionem de rubo ignito, & praeter dictum: Ero, qui ero, &c. quorum utriusque nonnulli ad Messiae incarnationem referunt, proponuntur multiplices figurae & typi de Christo, ut cap. 12. in agno paschali: cap. 16. in Manna; cap. 17. in Petra; cap. 24. in sanguine foederis; cap. 25. 26. 27. in fabrica arcae foederis, propitiatorij, Cherubin, mense, candelabri, altaris, thymiamatis, & compositione olei, unctiois; cap. 28. 29. & postea 39. in vestitu, inauguratione & sanctificatione summi Sacerdotis Aaronis & filiorum eius, de quibus singulis interpretationem apud Cyrillum lib. 4. in Iohannem cap. 28. praeter alios videre licet.

XXVIII.

Incidit autem celebratio agni paschalis Israëliitarum, cum reliquis gestis in Eremo, quae inter Chananæam regionem & Aegyptum media iuteriacet, proximè consecutis, in annum mundi 2454. ante exhibitum Messiam 1517. & tabernaculum arcae foederis ibidem erectum & dedicatum est, anno secundo exitus ex Aegypto, die primo mensis primi, à condito mundo 2455. ante templum à Salomone extructum 480. & ante extructum illud templum DEI viuum, in quo teste Apostolo, tota plenitudo Diuinitatis habitat corporaliter, 1516.

In Le-

XXIX.

In Leuitico præter typum & collationem, totius sacerdotij Aaronis, seu Leuitici, cum Sacerdotio Christi, pictura & conciones visibiles de sacrificio ipsius verè expiatorio, & de varijs ac maximis eius beneficijs fuerunt varia & multiplicia sacrificia, toties repetita & descripta cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & oblatio vituli & hirci in festo expiationis, die 10. Septimi mensis cap. 16. & de anno quinquagesimo seu iubileo, cui שְׁמִינִיטָה hoc est clangor siue sonitus buccinae quo 6. mense antè in festo expiationis indicebatur, nomen dedit. cap. 25.

XXX.

Initium constitutionis huiusmodi ceremoniarum & sacrificiorum in populo Israelitico, refertur ad diem primum mensis primi, anni secundi exitus eiusdem ex Aegypto, de quo Chronologica aliam assignata sunt.

XXXI.

Ex libro Numerorum, præter typos de Christo propositos, in descriptione legis Nazaraeorum cap. 6. de Manna, cap. 11. de cinere vaccae rufae & aqua cineri infusa, quæ hyssopo aspersa immundos munda-
bat. cap. 19. de petra à Mose percussa, cap. 20. maximè insignis est typus serpentis aenei à Mose in deserto erecti. cap. 21. & his addendum est vaticinium Balaami, de stella oritura ex Jacob. Quod Basilius, & multi alij è Christianis & Hebraeis interpretes, ad Christi aduentum & regnum eius accommodant.

XXXII.

Inchoatur autem narratio in Numeris, à mense secundo, anni eius secundi post exitum, de quo dictum est, & eiusdem tantùm anni historia 14. primis capitibus continetur. De intermedijs verò annis ea solummodo gesta nobis constant, quæ cap. 15. 16. 17. 18. 19. Numerorum recensentur, licet verisimile sit, multa quæ intermedijs illis annis acciderunt, in prioribus aut sequentibus capitibus, sparsim esse descripta. Hinc ergò colligitur, ab aeneo serpente erecto in deserto, vsq; ad erectum in cruce Christum, annos 1511. intercessisse.

B

Liber

XXXIII.

Liber quintus Mosis, qui ob repetitam legem Deuteronomium appellatur, non solum in eo totus est, ut sententia legis diuina perfectam & omnibus numeris absolutam iustitiam atq; obedientiam requirentis, fidelissimè inculcata & dextrè accepta, finem atq; scopum legis, Christum ipsum unice spectemus, expetamus & requiramus; sed etiam insigne vaticinium cap. 18. proponit, in quo persona, officium & doctrina Messie propria, disertis verbis exprimitur, & ab officio & voce Mosis discernitur.

XXXIV.

Hec quae Deuteronomio comprehenduntur, ultimo seu 40. anno peregrinationis Israëliitarum in deserto, à Mose proposita sunt, à primo die mensis in anno Ecclesiastico undecimi טבט vsq; ad sextum mensis sequentis טז per sex & triginta dies (ut habet Sederolam rabba cap. 10.) quo ipso die, ut ibidem habetur, ab ipso Iehoua nuntiatum est Mose, instare diem mortis suae, quae mox sequenti 7. die non sine insigni mysterio subsecuta est, ut nimirum hoc ipso facto ostenderetur, neminem per Mosen aut legem, sed per unicum Messiam, in terram promissionis introduci, & coram Deo iustificari. Is fuit annus mundi 2493. ante natum Dominum Prophetarum omnium 1478.

XXXV.

Sequitur ergò historia Iehoschuae, vel ut vulgo vsitata alijs etiam & potissimum proprijs nominibus Ἰησοῦς effertur, Iosua, qui ut quò-
vixit ita & gestis suis omninò typus fuit venturi veri Iehoschuae, & maximorum eius gestorum, ut quod iubente Iehouah & auctoritatem ipsi, suo verbo & miraculo diuisi Iordanis circumdante, populum Israëliticum in terram Chanaan patribus promissam introduxit cap. 3. 4. 5. quod ingentes ac mirandas victorias pro electis DEI, velocissimo cursu solis & Luna, ad integrum in ipso solstitio aestiuo diem cohibito obtinuit cap. 6. 8. 10. 11. quodq; deuictis regibus Cananeis, & triumpho de iisdem habito, terram Israëliticam sorte distribuit.

XXXVI.

Introductio illa Israëliitarum per Iordanem exiccatum, incidit
in an-

in annum mundi 2494. ante exhibitum verum Iosuaam 1477. partitio autem terræ quæ 7. anno consecuta est, attigit annum mundi 2500. ante natum Christum 1471. Quo ipso anno etiam Iubileus Mosis siue legis de mandato DEI supra expresso, initium habuit, annis ante verum Iubileum à Christo ipso promulgatum 1500. hoc est triginta Iubileis.

XXXVII.

In libro Iudicum mystica & typica de Christo habentur, cum in aliis capitibus, tum potissimum in historia Ierubbaal siue Gedeonis cap. 6. 7. 8. & Samsonis cap. 13. 14. 15. 16. ut præter Interpretes iuniores, Augustinus multis in locis venuste declarat, & imprimis serm. 107. & 108. de tempore, & de mirabilibus scripturæ cap. 6.

XXXVIII.

Refertur autem ætas Gedeonis quidem ad annum à condito mundo 2672. ante natum Christum 1299. Samsonis verò ad annum mundi 2791. ante natum Christum 1180.

XXXIX.

Libellus Ruth præter id quod proauum Dauidis, & patriam, in qua Messias nascendus erat, exprimit, alia quoque mystica continet, de quibus multis disserit Ambrosius libro 3. super Lucam.

XL.

Tempus Ruth incidit in annum mundi 2730. ante natum Christum 1241. In libro Sederolam refertur ad præcedentia tempora, quibus Ehud tertius iudex Israëlem gubernauit & quibus Eglon Rex Moabitarum deuictus est.

XLI.

In primo libro Samuelis typica de Christo proponuntur, in Sacerdote Heli mortuo cap. 4. in unctioe prima Dauidis, domi paternæ in Bethlehem cap. 16. in legatione Dauidis ad fratres suos, in Leone & Vrso occiso, in Goliatho prostrato cap. 17. in persecutione, fuga & exilio Dauidis ac propinquorum suorum cap. 19. 20. 21. & multis aliis: in cade Abimelechi & Sacerdotum, qui Dauidi fauere videbantur cap. 22. & in nece Saulis cap. 31.

XLII.

Censent autem unctiōnem primam Dauidis accidisse circa annum mundi 2883. ante natum Christum 1088. & mox sequenti incidit monomachia Dauidis & Goliathi, quæ mortem Christi vincen-
tis infernalem Goliathum diabolum, annis 1120. præcessit, ac deniq;
(ut in consignatione horum temporum breuiore simus) Saul perit
anno mundi 2890. ante natum Christum 1031. cum extincto paulò
antè, nempe 7. mensibus, ut volunt Hebraei, viro Dei Samuele, Phi-
lysteis redisset in præcordia virtus, contra quos pralio infeliciter su-
scepto, Saul suis concidit armis.

XLIII.

Libro secundo Samuelis post typicam Dauidis unctiōnem in He-
bron factam, cap. 2. & tertiam in urbe Hierosolymorum, eiectis ac
deletis Iebusais consecutam, cap. 5. expressis verbis proponitur, & re-
petitur capitalis promissio de semine benedicto, siue de Messia ex regia
Dauidis stirpe nascituro, quæ promissio omnibus, quantumuis ingen-
tibus thesauris regni Dauidis, & successorum eius præfertur, & cui
simile decus in nullo alio mundi regno & principatu unquam exti-
tit. cap. 7.

XLIV.

Deinde varia certamina & lapsus, qui regnante iam supra Is-
raëlem uniuersum Dauide Iudeorum rege celeberrimo, & Propheta
excellentissimo, in eodem libro accidisse scribuntur, typus fuerunt
regni Christi, quod in his terris non quietis sed militiæ est regnum,
ubi perpetuò piis certandum est, quibus nulli veniunt sine Marte tri-
umpho, & ubi sancti quoq; sibi ipsis relictæ, quandoq; grauioribus la-
psibus præoccupantur. Sed tamen serio ad DEVM conuersi, & desi-
piendo sapientiores facti, in gratiam redeunt, licet tristes postea in
hac vita pœnas perferant cap. 8. 10. 11. 12. 13. 14. 21. 22. 24.

XLV.

Præterea admodum illustris typus Christi, mortem aduentis pro-
ponitur in historia fugæ & exilii Dauidis, in quo excedens urbe Hie-
rosolyma transit torrentem Cidron; iubet arcam Domini reduci in
urbem, ascendit cliuum olearum, lacrymans incedit aperto capite
nudisq;

nudisq; pedibus, excipitur ac proscinditur conuicijs Semei, imò & lapidibus petitur, & nuncium accipit, Achitophelem quoq; aduersus ipsum conspirasse, qui paulo post seipsum laqueo suspendit, ceteris etiam seditiosis funesta morte sublatis. cap. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

XLVI.

Accidit autem altera vinctio Dauidis in Hebron anno 7. & tertia in metropoli Iudae anno 14. post primam. Adulterium & homicidium ab eo commissum est circa annum mundi 2903. ante natum Christum 1063. quam mox paenitentia est secuta, anno etatis Dauidis 49. Hinc post longam illam telam malorum, qua in regia familia eruperunt, secutum est exilium eius circiter annum mundi 2923. ante natum Christum 1048. etatis Dauidis 63. quo etiam degener & seditiosus filius eius Absolon tristissimo & inusitato mortis genere periit.

XLVII.

In fine libri eiusdem, in testamento siue nouissimis verbis Dauidis de Messia vaticinium comprehenditur, & expressis verbis duae naturae in ipso & nomina eiusdem officium designantia attinguntur cap. 23.

XLVIII.

De anno certo ad quem postrema illius libri gesta sunt referenda non constat, nisi quod ex cap. 2. sequentis libri colligitur, regem Dauidem ob sapientiam, pietatem, iustitiam & mansuetudinem laudatissimum, postquam 40. annis Ecclesiam & Rempublicam administrasset, rebus humanis exemptum esse anno etatis 70. mundi 2930. ante natum Messiam ex stirpe sua 1041.

XLIX.

Libro primo Regum in coronatione Salomonis, (qui nomine etiam refert Christum, facientem pacem inter DEVM & homines, & annunciantem pacem per Euangelium) ubi à Dauide collocatur in throno regio, & tam ab ipso patre Dauide, quàm à populo faustis acclamationibus Rex salutatur, & singulari reuerentiae cultu adoratur, procul dubio recondito quodam mysterio adoratio Messiae debita fuit representata. cap. 1.

L.

In primis verò externus splendor & sumtuosus ornatus templi Sa-

lomonis, in quo omnia auro & argento rutilabant, spiritualemente operum veri Salomonis maiestatem ac magnificentiam adumbravit, & in eorum considerationem piarum mentium oculos potius, quam in ligna & lapides erigendos ac desigendos esse docuit.

L I.

Vnde & totius regni Salomonis eminentia, typus fuit inestimabilis & ineffabilis dignitatis regni Christi, qui non in templo corruptibili & manu facto, vel aula terrestri habitaturus, sed immensa potentia gloria & magnificentia ad dextram Patris omnibus creaturis in caelo & in terra dominaturus, ac summi Regis ac Sacerdotis munere functurus erat cap. 6. 7. 8. 9. 10. De singularum partium templi mystica interpretatione, studio brevitatis, nihil nunc addimus.

L II.

Conditum autem est templum Salomonis, quod rectius inter septem miracula mundi, quam Ephesinum referripoterat, anno mundi 2934. ab exitu Israëliitarum ex Aegypto 480. ante verum & mirificum templum, nempe Filium Dei in carne manifestatum, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat, & in quo solo DEVS nobis propitius orationes nostras exaudit, annis 1037.

L III.

Salomon in eo quoque fuit typus Christi, quod famam sapientiae suae reginam Saba siue Austri pertraxit, ut veniret Hierosolymam, quae cum praesentem illum audiisset, admiratione extra se rapta dixit, omnem famam gloriae eius minorem fuisse ihs, quae coram cernebat atque audiret, & ne quidem dimidium sibi nunciatum fuisse beatosque esse Israëlitas, quibus de hoc fonte tam salutaris sapientiae undas haurire liceret, cap. 10. Id quod longè potius cum Augustino serm. 253. de tempore & pia antiquitate ad verum Salomonem Christum accommodamus, qui famam caelestis sapientiae, siue doctrinae Euangelicae & miraculorum suorum, longè lateque totum terrarum orbem repleuit, & ad se pertraxit omnium gentium populos, qui agnoscunt in ipso longè rectius quam in Salomone, omnes sapientiae Dei thesauros reconditos.

L IV.

Tempus

Tempus id quo regina Austri post absolutam à Salomone viramq;
domum, Domini & suam, ipsum adiit, sapientiam eius auditura, inci-
dit in annum mundi 2954. ante exhibitum orbi sapientie fontem v-
nicum Christum, 1017.

LV.

Elias Propheta, secundum historiam qua de ipso cap. 17. huius li-
bri extat, gessit typum Christi, & vidua Sareptana representavit Ec-
clesiam, eiusq; filius populum gentilem designavit, ut præter alios Au-
gustinus Serm. 201. de tempore ostendit.

LVI.

De eodem cap. 2. sequentis libri habetur, quod de exemplo Enochi
Patriarche, decurso vocationis sue spacio, & omnibus curis, certami-
nibus & periculis superatis Angelico curru, in cælum transfuectus sit,
& hoc modo illustris typus fuerit ascensionis Christi in cælum, cuius
tamen glorie & felicitatis amplitudo, in infinitum maior est, quam
ut uniuersi dolores, certamina & labores Elie, cum ea comparari pos-
sint & debeant.

LVII.

Incidit autem Elie Prophete ministerium in annum mundi 3037.
à translato Enocho 2066. ante colloquium Elie cum Christo in monte
sancto 950.

LVIII.

Eliseus Propheta ex descriptione cap. 4. fuit quoq; typus Christi,
& vidua apud quam diuertit, Ecclesiam denotavit, que debitum gra-
tie contraxit, non solidorum sed peccatorum: Et per Sunanitidem ste-
rilem designata fuit Ecclesia, que ante aduentum Christi sterilis fu-
it, sed adueniente Christo genuit gentem Christianorum, ut Augusti-
nus serm. 306. de tempore pluribus declarat.

LIX.

Ex eodem libro cap. 5. in Eliseo, curante aut liberante à lepra Naa-
manum Syrum, eumq; peregrinum, Christi typum fuisse propositum, &
famulum Elisei Giecaum Iudam proditorem loculos habentem repre-
sentasse, Idem August. serm. 208. de tempore, obseruauit.

LX.

In primis verò cap. 13. de ossibus Elisei, contactu reddentibus vi-
tam ho-

tam homini mortuo, qui iam humandus erat, sed ob hostium inopinatum aduentum inhumatus in sepulchrum Elisei proiectus erat, habetur typus Christi, alterius Elisei, qui cum post annos 900. à morte prioris Elisei expirasset in cruce, cadauere suo terram attingens, non solum multa sepulchra aperuit, & corpora sanctorum vitæ restituit, sed mortuo etiam corpori suo vitam reddidit die tertio, ut inter alia testaretur, se Ecclesie fidei veræ contactu ipsum apprehendenti, vitam æternam restituere.

LXI.

Seculum Elisei, cum translatione Eliæ, cui ipse successor datus est, suum sortitur initium. Mors eius incidit in annum mundi 3104. ante natum mortis dominum & victorem 864. Mortuus igitur homo contactu ossium Elisei reuixit annis ante mortem Christi 900.

LXII.

Ex libris Paralipomenon ad primarium Sacre scripturae argumentum, pertinent speciales genealogia Patriarcharum & gentis Israëlita, capitibus 10. ab initio comprehense, in quibus agitur vel de familia regia, è qua promissus mundo Messias nasciturus erat Rex Regum: vel de familia sacerdotali, quæ ideò illi cognata & affinitate iuncta fuit, ut mysterio de Iesu Christo Rege & Sacerdote summo & æterno, secundum ordinem Melchisedechi seruiret.

LXIII.

In descriptionibus quoque regni Davidis & Salomonis, quod quendam regni Christi typum fuisse antea ostendimus, obseruanda erunt, quæ de Regis electione, familia, nutricibus, rebus gestis, Reipublicæ statu, tam pacis quàm belli tempore regni ordine, gloria, presidij, legibus, viris heroicis, robore exercitus recensentur cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. primi: ut & multis capitibus sequentis libri, quæ sua ratione mysterio Christi & Ecclesie eius accommodari possunt.

LXIV.

In primis verò repetitio promissionis de Christo, expressis verbis facta, quam antea præcipuum κειμήλιον, & præciosissimum thesaurum, regni Davidis & successorum eius fuisse meminimus, ex cap. 18. eiusdem libri pie diligenterque consideranda est, & inter alia, quibus
verus

verus Salomon Christus hic describitur, regnans in domo DEI, qua
est Ecclesia in aeternum, ideoq; DEV S & homo est filius Dei & filius
hominis, notandum est insigne illud dictum: Et aspexisti me secun-
dum formam hominis, qui in excelsis es Iehouah Elohim.

LXV.

Esdras & Nehemias, qui ceteris libris historicis subiunguntur,
aliud quoq; in cortice praefereunt & aliud in medulla referunt, ut Hie-
ronymus ad Paulinum loquitur, quia ubi agitur de reductione populi
Iudaici ex captiuitate LXX. annorum Babylonica, in terram patriam
ducibus Iesu summo sacerdote, & Senibabelo principe, deq; impletis
à Deo fidelissimè promissionibus, quas de liberatione & conseruatio-
ne populi huius tradiderat, & quas temerè impedire hostes conati
fuerant, procul dubio proponitur typus, de veris Iudaeis, Christum
Iesum Ducem summum suum agnoscentibus, & cordibus aut spiri-
tu circumcisis, videlicet, quod & ipsi exacta periodo militia & exi-
lij sui in his terris, & post Babylonicam Antichristi captiuitatem su-
peratam, ab eodem unico & vero Archipontifice & Duce in patriam
caelestem & requiem sempiternam, frustra impys tantam felicitatem
ipsis inuidentibus, sint reducendi.

LXVI.

Ibidem praeter alia concurrat, typus Christi in Cyro, rege Persa-
rum diuinitus excitato, ut Iudaeis tunc redeundi in patriam faceret
potestatem, quam ἐκτονωσιον in religione & ceteris partibus admini-
strationis concederet, tametsi infinitis rationibus praestantiora bona
alter ille Cyrus praestiterit, de quib. Esaia 45. habetur: Sic dicit Ieho-
uah de Christo suo, de Chores, cui apprehendi dextram, ut expandam
coram eo gentes.

LXVII.

Incidit autem primus annus Monarchiae Cyri in annum mundi
3435. ante natum Christum 536. quo Danieli ab Angelo caelitus misso
reuelantur LXX. hebdomades, quibus elapsis Deus in carne patefaci-
endus & regnum Christi instaurandum, ac publicè proclamandum
atq; per uniuersum terrarum orbem propagandum erat. Eo igitur

C

anno

anno prima migratio populi è Babylone secuta est, qua Iesus filius Ioseph & Senibbabel Dux, Cyro Rege concedente & templi prioris vasa restitute, maximaq; populi multitudine comitante, in patriam reuersi sunt, ubi etiam altare Hierosolymis extructum & primum à reditu festum Tabernaculorum est celebratum, ac sequenti anno templi secundi fundamenta iacta sunt, qua tamen postea annis 17. impedita fuerunt, vsq; ad annum Darij tertij Regis Persarum, anno mundi 3453. ante natum Christum 518.1. Esdrae 3.4.5.6.8.

LXVIII.

Altera migratio Iudeorum è Babylone, incidit in annum mundi 3514. ubi Esdras Sacerdos anno 7. Artaxerxis Longimani, cum populi Israëlitici turba migravit è Babylone in Iudeam, anno 80. post priorem reditum inchoato. Ad hunc igitur annum referimus initium hebdomadam Danielis, hoc est, annorum 490. qui passione & morte Domini nostri Iesu Christi finiuntur.

LXIX.

De mystica libri Esther interpretatione Hieronymus his verbis monet: Esther in Ecclesia typo, populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes conuiuij & diem celebrem mittit in posteros. Hinc & alij veteres mysticam interpretationem de eo addunt, quod sicut Aman, qui ab omnibus adorari solitus erat, Mardocheo crucem parauerit, & in ea tamen ipse suspensus fuerit, ita princeps huius mundi diabolus à quo & adoratur, Christo crucem parauit, & in illa per eundem sit deuictus.

LXX.

Ceterum quia parentes Estheræ translati sunt in Babylonem, cum rege Iechonia, refertur eius historia non post, sed in tempus captiuitatis, ad annum mundi 3400. qui fuit Iubilæus mundi 68. Mosis 18. ante natum Christum 571. quo medium captiuitatis Babylonicæ incidit, quia mense illius quarto aut quinto completus fuit, 30. annus captiuitatis, cum decennio antè rex Iudæ Iechonias rursus esset exaltatus.

In libro

LXXI.

In libro Iobi præter illustre exemplum spiritualis militiae, qua in his terris p̄y in regno Christi perpetuas pugnas sustinent, quas tandem suæ victoriæ ac triumpho sequuntur, insigne etiam habetur vaticinium de filio Dei incarnando, ut noster fieret consanguineus, & posset nos iure propinquitatis redimere cap. 19. ubi ait. Scio, quod redemptor meus vivit, & in nouissimo super puluere resurgam. Nam redemptoris nomen & opus, quoties ipsi Deo tribuitur (multoties autem in sacris literis ei tributum legitur) tunc immediatè de Secunda Diuinitatis persona nempe Filio Dei intelligendum est, qui ideò carnem nostram assumpsit, & homo factus est, ut ipse propinquus & consanguineus proximus, nos venundatos sub peccatum, & in Sathane potestatem redactos, iure propinquitatis sanguine suo redimeret, nosq; regno suo adsereret.

LXXII.

Censetur autem Iob vixisse circa annum mundi 2220. ante exhibitum mundo redemptorem, quem proficitur 1750. quia de eo Philo refert, quod duxerit in uxorem Dinam, filiam Iacob (quæ 12. annis antè à Sichemo filio Hemor stuprata erat) ex qua 14. filios & 6. filias genuerit, antequam à Deo percuteretur: & postea ubi placidam rerum suarum Catastrophen attigit, rursus alios 7. filios & 7. filias ex ea suscepit. Vnde & Hieronymus iudicat, Iobum fuisse Regem Idumææ, Iobab filium Zara, qui Gen. 36. ita nominatur, licet eius coniugem Arabissam fuisse dicat.

LXXIII.

In libro Hymnorum plurimi sunt Psalmi de Messia Prophetici, qui inter ceteros Psalmos, veluti Hesperus inter nocturnos ignes eminent, & illustra valdè testimonia continent, vel de persona Christi & duabus in ipso naturis, vel de eius officio sacerdotali, prophetico & regio, vel de exinanitione in passione, morte, sepulturâ, vel de eius exaltatione siue gloriosa resurrectione, ascensione in cælum, sessione ad dexteram Patris.

C 2

Hi Psalmi

LXXIV.

Hi Psalmi prophetici hoc ordine & numero à D. Luthero assignati habentur: 2.8.9.14.16.19.21.22.24.29.40.45.47.53.67.68.72.87.89.93.95.96.97.98.100.110.113.117.

LXXV.

Refertur autem compositio Psalmorum Davidis, magna ex parte ad annos à condito mundo 2889.2890. & sequentes, ante natum non tantum filium, sed etiam Dominum Davidis 1082.1081.1080. Et cum supra ostensum sit, adulterium Davidis incidisse in annum mundi 2908. Psalmus 51. quo prater alios pœnitentiam suam omnibus seculis testatam fecit, ad proximè sequentem annum referendus erit

LXXVI.

Ex libris Salomonis Prouerbia quedam insignia de æterna Christi diuinitate, de eius operibus, beneficijs & meritis testimonia continent, ut veteres tam Christiani, quam saniores Hebræi ex selectioribus sententiis, quæ potissimum cap.1.3.8. & 30.habentur, declarauerunt.

LXXVII.

Eadem ratione ex Ecclesiaste quedam dicta, quæ cap. 1.2.4. & 11.leguntur, ad promissum orbi Messiam, & diuina eius opera esse accommodanda, illi censuerunt.

LXXVIII.

Inprimis verò de libro qui inscribitur Canticum Canticorum, constat magno consensu orthodoxos statuisse, eum continere Epithalamium Christi & Ecclesie, & schematibus siue figuris oratorii carminis, mysticam desponsationem, coniugium & amorem sponsi & sponsæ huius describi: quia Christus per Euangelium, tanquam carmine amatorio, compellat sponsam suam, & ab ea conuersionem & fidem postulat, ac rursus sponsa vestibus & ornamentis spiritualibus, iisq; longe pretiosissimis induta, prædicat formam & bonitatem sponsi, & auxilium aduersus hostes, quibus hinc circumdata est, implorat, & eius consolatione in cruce se recreari expetit.

LXXIX.

Hi autem libri, in Chronico Hebræorum Sederolam, iudicantur esse

esse scripti à Salomone, circa ultimum annum vitæ ipsius, qui incidit post conditum mundum 2970. ante natum Christum 1001. ubi pœnitentiam agens, rursus Spiritu diuino ad sanio-rem mentem reductus est. Sic enim in eodem Chronico additur: Interea sub senium Salomon prope mortem Spiritum sanctum habuit inhabitantem, & dictauit libros istos Prouerbia, Cantica Canticorum, & Ecclesiasten. Omitimus, quæ de eiusdem pœnitentia Hieronymus in 43. Ezechiel. recenset.

LXXX.

Accedimus ad libros Prophetarum, inter quos primò occurrit Iesaias, de quo piè & verè idem Hieron. pronunciat, ipsum non tam Prophetiam texere, quàm Euangelium, quia præclare & admodum euidenter personam, incarnationem, officia, beneficia, miracula, passionem, mortem, resurrectionem & regnum Christi descripsit, ut videre licet plurimis capitibus, nempe 2. 4. 6. 7. 9. 11. 12. 25. 35. 40. 41. 42. 49. 50. 53. 55. 59. 60. 61. 62. Hic ergò vnus Propheta, ob copiam & ubertatem huiusmodi Oraculorum de Messia, facile omnes ceteros, qui sequuntur antecellit. Eadem quoq; adeo magna sunt & aperta, ut non de futuris Messia euentibus vaticinari, sed magis de gestis eius præteritis historiam scribere videatur.

LXXXI.

Censetur autem Iesaias in regno Iudæ claruisse circa annum mundi 3190. ante natum Immanuelem, quem disertè sic appellat 781. tamen si ministerio suo, tempore satis longo, videlicet ad annos 30. sub multis regibus, Ozia, Ioatham, AchaZ, Ezechia & Manasse, eum præfuisse colligere liceat.

LXXXII.

In Concionibus Ieremie, quamuis passim prædictiones & consolationes, de aduentu & beneficijs promissi Messia propter pios & pœnitentes inserantur, tamen illustriora sunt ceteris, quæ de persona, officijs & beneficijs Christi habentur, cap. 3. 11. 14. 16. 23. 29. 30. 31. 33. 46.

LXXXIII.

Initium ministerij Ieremie docentis in fine regni Iudaici, siue ante primum vrbs excidium, & abductionem populi Iudaici in Babylo-

nem, refertur ad annum mundi 3325. ante natum Christum 646. & hoc officio prophetico inter grauissimas persecutiones, ad annos 41. functus est.

LXXXIV.

Ezechiel de Christi persona, officio, beneficijs & regno, per uniuersum mundum, voce Euangelij propagando, partim typicè, partim aperte vaticinatus est. cap. 1. 2. 3. 4. 9. 16. 17. 18. 33. 34. 36. 37.

LXXXV.

Hic Propheta diuinitus excitatus, vaticinari capit in Babylone, anno mundi 3359. transmigrationis Iechonie quinto, cum quo abductus erat in Chaldaeam, ante natum Christum 612.

LXXXVI.

In libro Danielis promissiones maximè insignes, de persona, beneficijs & regno Messie habentur, cap. 2. 7. & in primis 9. ubi non tantum ut in ceteris Prophetis, quod & quale sit regnum illud futurum describitur, sed etiam certis annorum numeris exprimitur, inter quos Messias venturus & victima pro peccatis generis humani futurus, summaq; Noui Testamenti bona exhibiturus esset.

LXXXVII.

Collocatur autem initium libri Danielis in annum mundi 3355. ante natum Christum 616. ante captiuitatem Babylonicam 15. Expositio somnij Nebucadnezaris de Colosso, cui attexitur concio de aeterno Christi regno, non humanis consilijs, nec humanâ potentiâ sed diuinitus constituto, refertur ad annum mundi 3370. captiuitatis Babylonicae quintum, ante natum Regem Regum 601. Visio de quatuor bestijs, Monarchias totidem designantibus, & concio de persona & officio Messie atq; extremo iudicio, & sine omnium politiarum facta est anno mundi 3421. ante natum Christum 550. captiuitatis 55. Deniq; reuelatio LXX. hebdomadum vsq; ad aduentum Messie, incidit in annum mundi 3435. ante natum Christum 536. qui & primus fuit, quo captiuitas Babylonica fuit soluta. Daniel igitur satis longo tempore videlicet ad annos 80. non solum Ecclesie sed & Reipublicae praesuit, quia partes primarij gubernatoris sub Nabuchodonosore Euilmerodacho, Balthasaro, Regibus Chaldaeorum, & sub Dario Medorum, atq; Cyro Persarum rege sustinuit.

Oseas

LXXXVIII.

Oseas in concionibus suis illustra testimonia de Christo, de Regno eius siue Ecclesia, & de beneficijs maximis, nimirum remissione peccatorum, liberatione à morte, resurrectione mortuorum, vocatione gentium & reprobatione Iudæorum cap. 1. 2. 3. 6. 13. 14. proponit.

LXXXIX.

Hic autem Propheta qui regno datus fuit Iudaico, Iesaiæ, ut restatur Sederolam Hebræorum, סֵדֶרֹלָם & fuit, cuius ætas ex superioribus hîc repetenda erit. XC.

Joël in postrema parte capituli secundi, de regno & beneficijs Christi, deq; Spiritus Sancti effusione, ac postea sequenti cap. 3. de vocatione gentium ad societatem Ecclesie Dei vaticinatur.

XC I.

Ministerio suo functus est in regno Iuda, circa finem gubernationis Ezechie, & initium Manasse, quod incidit in annum mundi 3256. ante natum Christum 715.

XC II.

Quæ Amos in ultima parte concionum suarum, de suscitando tabernaculo Davidis collapsò, de sepiendis rupturis eius, de subuersionibus eius erigendis & edificandis vaticinatur, ea haud dubiè accipienda sunt de Iesu Christo Dei filio, qui ex Davidis prosapia homo factus, regnum Dei cæleste inter homines instauravit, & prædicatione Apostolorum in omnes gentes propagavit & ad finem usq; mundi est propagaturus.

XC III.

Hic Propheta qui in regno Israël exciatus est, סֵדֶרֹלָם & censetur fuisse Iesaiæ & Oseæ, de quorum ætate, antè monuimus.

XC IV.

Abdias oraculis suis ad finem, prædictiones de Christo & regno eius addit, ubi saluationem ex monte Sion promittit, & regnum Iehouah disertè exprimit.

XC V.

Ætas huius Prophete, qui in regno Iudaico docuit, ad tempus ministerij Jeremie refertur, quod supra assignatum est, licet Hebræus
AbneZra

Abnezra super primum versum Abdia dicat, non certò constare ipsis, qua etate vixerit, & quod non possit affirmari, quod sit is de quo 3. Regum 18. sit mentio.

XCVI.

In Iona typum & mysterium humiliationis Christi usq; ad mortem crucis, & resurrectionis, qua mox tertia die consecuta fuit, propositum fuisse, non potest aut debet vocari in dubium. Quae etiam praeterea ex historia eius, ad Christum accommodari possint, apud August. Epistola 49. videantur.

XCVII.

Oriundus ille fuit ex gente Israëlitica, & floruit circa annum mundi 3119. ante natum eum, qui omnibus modis praestantior fuit typico illo Iona. 852.

XCVIII.

Micheas praeter id quod cap. 2. & 4. regnum Messiae neruosè describit, id quoq; inter omnes Prophetas peculiare habet, quod cap. 5. locum natalem, in quo filius Dei homo nasci debuit, expressè nominat.

XCIX.

Hic Propheta qui in tribu Iuda vixit, censetur quoq; οὐγγρον & Iesaiæ fuisse, licet de eodem Sederolam inter alia observauerit, quod Iesaias, Oseas & Amos ipso superiores fuerint vel antiquiores, siquidem hic non meminit Ozia, sed Ioatham, & duorum sequentium Regum in Iuda.

C.

Nabum cap. 1. ad finem praedicens, quod in montibus (quibus ratione situs Hierosolyma undiq; fuit circumdata) ab Assyrijs tempore obsidionis occupatis, comparituri sint nuncij, qui pacem veram & solidam promulgaturi, & ad ferias agendas atq; vota solvenda populum excitaturi sint, procul dubio ad mysteria Euangelij de Christo respexit, quibus de liberatione ex tristissima servitute spiritualis Sennacherib diaboli edocemur.

CI.

Hunc Nabum in regno Iuda inter 6. & 14. annum Ezechiae Regis prophe-

prophetasse existimant, hoc est anno mundi 3233. ante natum Christum 738. Sed tamen Sederolam refert aetatem eius, ut & Ioëlis, ad tempora Manasse, & addit, ideo ipsos nomen eius subtruxisse, quia Rex hic valde sceleratus fuerit.

CII.

Insignem sententiam Propheta Habacuc cap. 2. Ecce eius qui se munit anima, non est recta in ipso: iustus autem in fide sua viuet, haud violenter aut incommodè ad gratuitam remissionem per Christum & fidei iustificationem accommodatur, licet Propheta de liberatione ex Babylone loquatur. Sunt etiam insignes quaedam sententiae cap. 3. in oratione Habacuc, quae ad mysteria de Christo, & uniuersalem generis humani redemptionem accommodantur.

CIII.

Incidit aetatem Habacuc, referente Sederolam, in tempestatem crudelissimi Regis Manasse, quamuis alij eum in tempora captiuitatis Babylonicæ reijciant.

CIV.

Maxima pars capituli tertij Sophoniae constat dulcissimis promissionibus de Messia, de summis beneficijs eius, & regno per totum orbem terrarum, non humana industria & ope, sed solius Dei potentia per verbi predicationem colligendo & propagando, ut sub uno capite suo Christo in eiusdem corporis unitatem coalescat.

CV.

Hic Propheta fuit ex ultimis, qui ante captiuitatem in populo Iudaico vaticinati sunt, & contemporaneus Ieremiae fuit, de cuius aetate in precedentibus monuimus.

CVI.

Haggaeus cap. 2. haud obscure de Christi aduentu in carnem, & de abrogatione legalis cultus differit, & hoc sine gloriam templi posterioris priori, à Salomone extructo, anteponeit, utpote quod ea non ex structura magnificentia & splendore externo, sed à Iesu Christo, quem in eo presentem videre & audire licuit, aestimanda sit.

D

Hic

CVII.

Hic in numero eorum est Prophetarum, qui Iudaeis ab exilio Babylonico reuersis docendi munere functi sunt, anno à condito mundo 3452. ante editum miraculum illud summum, de quo vaticinatur. 519.

CVIII.

Zacharias multus est, in proponendis de Christo & regno eius, siue Ecclesia ex Iudaeis & gentibus congreganda vaticinijs, sicut id non solum in primis capitibus, edocet typus Iosuae Summi Sacerdotis, sed & bona pars capitibus 6. 9. 11. 12. 13. 14.

CIX.

Accensetur iisdem Prophetis, qui post captiuitatem floruerunt in populo Iudaico, & mensibus duobus, post Haggaeum quem collegam habuit, vaticinari cepit.

CX.

Malachias aliquot capitibus, nempe 1. 3. & 4. illustria proponit vaticinia de Christi in hunc mundum aduentu, de aeterno eius Sacerdotio & regno, per totum orbem propagando, ac de maximis illius beneficijs, generi humano conferendis.

CXI.

Hic Propheta quem Hebraei Esdras fuisse putant, ultimus fuit inter eos, qui post captiuitatem Babylonicam diuinitus excitati & populo Iudaico missi sunt, circa annum mundi 3500. in quem incidit Iubileus quidem mundi 70. Mosis vero 20. ante exortum Solem, quem sic nominat, iustitiae 471.

CXII.

Haec tenus igitur ex omnibus Veteris Instrumenti libris, qui Canonici iure habentur, non solum in genere, sed & in specie designando illorum capita, quae ad scopum & primarium eorum argumentum spectant breuissimè expressimus, plenam recitationem & expositionem eorundem, quae prolixum requirebat commentarium, ad suum reiicientes locum.

CXIII.

Ex hac tamen quantumuis breui delineatione, quam nunc institui-

instituiamus, inter alia abundè, quod iudicamus, finis ille prophetiarum deprehenditur, ad quem veluti certum scopum Prophetæ variando collimarunt, & qui nobis perpetuò in lectiōe & tractatione sacre scripturæ est spectandus, nisi in ea frustra defatigari, & oleum quod dicitur, & operam omnem perdere velimus.

CXIV.

Intelligimus quoq; ex hoc unico sine dependere, totius religionis summam, veram agnitionem, cultum & gloriam Dei, sicut & veram lucem, sapientiam & salutem hominum, atq; anima fidelis adeò solidam oblectationem, ut maior & firmiter ea nobis contingere nequeat.

CXV.

Contrà, ubi Christus in scripturis non queritur & inuenitur, nihil nisi idolatria, impietas, superstitio, hypocrisis & tenebra supersunt, nec ullus opinandi, dubitandi & errandi est finis, sicut nec ullus consolacionis certa locus est reliquus.

CXVI.

Id quod videre licet cum in aliis tum in Iudeis, qui quamuis eadem Veteris Testamenti scripta nobiscum legant, tamen quia Christum totius legis finem, ob velamen, quod teste Apostolo, ad hodiernum usq; diem oculis eorum impositum est, non vident, in perpetuis non tantum herent tenebris, sed Oracula de Christo, quorum capita haftenus sunt adsignata, deestanda impietate discerpunt, peruertunt, & ad peregrinos sensus detorquent, ipsumq; Christum blasphemis & contumeliis neququam ferendis afficiunt.

CXVII.

Hic addendum quoq; erat de corruptelis huiusmodi oraculorum quæ iam olim & hodie inter Christianos in Ecclesia Dei sparse sunt & cumulata, ubi vel in translatione à fontibus hebrais est aberratum, vel in rebus adhibitis perversiōibus Iudaicis, aut aliis somniis humanis in medium allatis, eadem oracula fædè sunt inuoluta, obscu-

vata & detorta: Sed cum in his singulis ad oculum demonstrandis, prolixior tractatio requiratur, nunc eam nobis præcedendam esse statuimus.

CXVIII.

Vt verò nos etiam cum fructu hæc oracula perscrutemur, meditemur, assequamur & in ijs acquiescamus, cælesti dono intelligentia nobis est opus, qua doctrinam & mysteria rationi humane ignota, in iisdem comprehensa percipiamus.

CXIX.

Omnes enim post lapsum & amissam imaginem Dei, ad quam conditi eramus, in mentibus nostris, crassa veri ignorantia & caligine laboramus, qua fit, ut scriptura que teste Dauide est lucerna pedibus, & lumen semitis nostris, inter cacutientes frustra fulgeat, donec spiritus diuinus tenebras mentis nostræ discutiat, & facultatem res spirituales percipiendi, & ad usus salutare transferendi largiatur.

CXX.

Etsi igitur homo secundum externam locomotiuam, oracula cælestia legere, audire, & de ijs aliquo modo cogitare potest, tamen nondum liberi arbitrii viribus intelligit illa, & fide vera amplectitur, nisi Deus per verbum auditum, lectum & cogitatum in ipso sit efficax, & intrinsecus doceat ipsum de ijs, que foris legit & audit.

CXXI.

Expressis igitur verbis, diuine omnipotentia hoc opus Psal. 147. attribuitur, ubi dicitur; Iehouah illuminat cecos, Iehouah erigit elisos.

CXXII.

Vnde & multoties regius vates, cum alibi, tum Psal. 119. sibi hoc donum intelligentia à Deo dari expedit, ut cum hæc vota ingeminat: Illumina siue reuela oculos meos, & considerabo mirabilia in Legge tua. Et, Doce me Iehouah viam statutorum tuorum ut custodiam ea semper: Da mihi intellectum, ut obseruem Legem tuam, & custodiam illam in toto corde. Et, Fac cum seruo tuo misericordiam, & sta-
tuta

tura tua doce me: Seruus tuus sum ego da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

CXXIII.

Exemplo sint etiam ipsi Apostoli, quibus Dominus post gloriosam resurrectionem suam, idem quod haecenus ostendimus, principale argumentum totius sacrae scripturae inculcabat, addens, necesse fuisse, ut implerentur omnia quae scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis DE IP SO. His S. Lucas cap. 24. mox subiicit: Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent scripturas.

CXXIV.

Etsi igitur Apostoli & reliqui discipuli, nouerant scripturam, & multiplicia Prophetarum de regno Christi uaticinia, tamen non recte conditiones regni Christi intelligebant, & ideo opus erat ipsis, ut diuinitus mentium oculi aperirentur, ut caligine, qua impediabantur, discussa eas perspicerent.

CXXV.

Quae sanè ideo nunc ceteris addenda censuimus, ut auditores nostri praemonerentur, contra errores recentiorum quorundam, qui inter alia Pelagianismo fores aperientes, homini non renato tribuunt studium cognoscendi & discendi uerbum Dei, & facultatem remouendi spinas & obstacula largiuntur. Afferunt item quod non tantum omnes debeant, sed si uelint quod & possint credere in nomen unigeniti Dei &c.

CXXVI.

Ab his ergò si queratur, quae primae partes homini nondum conuerso, sint hic tribuendae, & quod sit illud cognoscendi & discendi uerbum Dei studium? Describunt illud dicto Ioan. 6. Si quis audit à Patre, & discit, ad me uenit.

CXXVII.

At uerò de hac sententia constat, orthodoxos eam de auditu interno, qui solius Spiritus Sancti opus est, exposuisse, quia nimirum illi à Patre audiunt, qui Deo intus loquenti, se ex animo subiiciunt, ubi iam Spiritus Sanctus in ipsorum cordibus est efficax.

D 3

Quin

CXXVIII.

Quin verò etiam precedentia sensum verborum Christi abunde declarant, quòd ait: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, Et, Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.*

CXXIX.

Nec tamen sentimus, Patrem ad Filium homines trahere, sicut homo saxum aut lignum post se trahit, sed docendo & persuadendo, quia dum per ministros suos DEVS ut organa sua, foris verbum proponit, & Sacramenta que verbo addita sunt administrat, intus reuelatione & inspiratione sua trahit, & luce sua corda hominum illustrat: atq; in iisdem motus sibi placentes excitat & operatur.

CXXX.

Sed nunc de his etiam paucis saltem monuisse sat sit, ubi eorum tractatione & pugnantium refutatione, ad suum locum reservata.





AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK





2.

DISPUTATIO

DE PRIMARIO
ARGUMENTO, LIBRO-
RUM SACRAE SCRIPTURAE CA-
nonicorum, qui Veteris Testamenti ap-
pellatione comprehen-
duntur.

DE QVA DEO DANTE PER CHRISTVM,

Præside,

IOANNE HEDERICO THEOLO-
giæ D. & Professore in Academia IVLIA,
quæ est Helmsteti,

Respondebit publicè

M. IOHANNES VVONINGIVS Vltzensis.



HELMÆSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
clō 13 xcv.

2

